

QUARTA SERIES.

Excommunicatio nemini reservata ligat :

I.

Mandantes seu cogentes trahi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

609. Mandantes ii sunt qui publica, qua polleant, auctoritate ex. gr. provinciae gubernatoris vel burgimagistri, abusi, juberent aliquem ex infra dicendis tradi ecclesiasticae sepulturae.

Cogentes dicuntur personae tum publicae, tum privatae, quae vi vel metu custodem ecclesiasticae sepulturae compellunt ad eam haeretico notorio, etc. concedendam. Immunes ergo a censura sunt qui prohibita sepulturae cooperantur, comitando cadaver, foveam excavando, etc. (Piat. Comm. in h. l.), vel qui, nullo jubente aut cogente, sepeliunt.

Tradi ecclesiasticae sepulturae. Quamvis ecclesiastica sepultura duo complectatur : humationem in loco sacro et exsequiarum pompam (n. 626), praesens censura probabiliter respicit solam inhumationem : quod verbo *tradi* satis ostenditur. (D'Annib. Th. Mor. I. n. 394 nota 2) Haec autem inhumatio debet fieri in loco qui non sit tantum sepulturae fidelium destinatus, sed insuper ab episcopo, aut sacerdote quem episcopus delegaverit, benedictus : secus enim non habetur ecclesiastica sepultura in sensu stricto, juxta probabilior sententiam Canonistarum. (Reiff. in l. 3. Decr. t. 28. n. 2) Quare non incurritur censura si defunctus jubetur sepeliri in coemeterio in quo singulis tantum fossis dari solet benedictio; incurreretur vero si defunctus juberetur sepeliri in sepultura gentilitia, per episcopi auctoritatem benedicta, quae in tali coemeterio sita esset. (Piat. in h. l.)

Haereticos notorios. Quamvis pauci, ut D'Annib. (l. c.), has voces restringant ad eos qui sectae haereticae addicti sunt, rectius plerique eas intellegunt de iis omnibus qui, in loco sepulturae, plerisque noti sunt tamquam haeresim profitentes : siquidem et ii proprio sensu haeretici notorii nuncupantur. Magis ambiguum est num etiam comprehendantur apostatae notorii. Affirmant fere omnes, et quidem valde probabiliter, cum apostasia in se complectatur haeresim et tantum longius in eodem peccato progrediatur. Nihilominus non improbabiler negat Pennacchi (II. p. 85 seqq.) potissimum quia in lege poenali verba stricte sumenda

sunt; ipsa autem Const. *Apost. Sedis* minime superfluum reputat apostatas exprimere, quando eos eadem poena cum haeticis plectere intendit. (Excomm. 1^a inter spec. reserv. R. P.)

Nominatim excommunicatos vel interdictos. Quid necessarium sit ut aliquis nominatim censura aliqua ligatus dicatur et consequenter vitandus sit, dictum est n. 581. Cum hic agatur de personis sepeliendis, probabiliter intellegendum est solum interdictum personale speciale.

II.

Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes aliosve ministros S. Officii; ejusve sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

III.

Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitosae*, de rebus eccles. non alienandis.

610. Alienantes. Alienationis nomine veniunt non tantum actus quibus transfertur honorum ecclesiasticorum dominium directum, puta venditio vel donatio; sed etiam alii qui speciatim in Extrav. *Ambitosae* a Paulo II anno 1468 data (Extrav. comm. l. 3. t. 4), recensentur, ut hypothea specialis, qua scil. certa et determinata bona obligentur, et locatio ultra triennium. Igitur, si ad longius tempus locaretur domus, ager, etc., ad censuram effugiendam, administrator honorum ecclesiasticorum sibi reservare deberet facultatem contractus singulis trienniis rescindendi; mera tamen promissio renovandae locationis, elapso triennio, minime prohibetur. (Penn. II. p. 140) Ut tamen alienatio proprio sensu fiat, necesse est ut Ecclesia jam plene acquisiverit bona, seu ut habeat jus in re (Vol. I. n. 461); nec sufficit ut renuntietur iis ad quae obtinenda jus assecuta est, puta ex donatione vel legato nondum acceptatis. Neque alienatio censenda est transactio per quam non renuntietur acquisitis, sed tantum ab acquirendo absteineatur. Ubi vero sub reservatione Beneplaciti Apostolici facta est alienatio, probabiliter non incurritur excommunicatio, si contractus non mandatur executioni donec beneplacitum obtentum fuerit : nequit enim dici alienatum quod adhuc in dominio venditoris manet. (D'Annib. Comm. in h. l. nota 51; Penn. II. p. 134) Similiter quando alienatio non perficitur nisi per traditionem rei, censura non incurritur antequam tradita fuerit; si vero contractus emptionis et venditionis solo partium consensu perficitur, ut in Jure nostro (Vol. I. n. 625), censura jam ante traditionem urget.

Probabile est ab hac censura immunes esse episcopos et abbates. (D'Annib. in h. l. n. 168; Penn. II. p. 142) Hi enim in Extrav. *Ambitiosae* non percellantur excommunicatione, sed interdicto ab ingressu Ecclesiae: quod certo per praesentem Bullam abolitur. Igitur cum Pius IX censuram ferat ad formam cit. Extrav., neque hic excommunicari videntur episcopi et abbates.

Alienationes factae ab una Ecclesia ad aliam, juxta sententiam a S. C. C. (24 Jan. 1632; 27 Febr. 1666) probatam, sub praesentem censuram cadunt. Nihilominus non videtur carere sua probabilitate sententia opposita, quam tuentur D'Annib. (l. c.), Ball. P. (n. 478), etc. Ratio est: in tali alienatione non haberi illud *maximum divini cultus detrimentum*, cui cavendo lata est Extrav. cit. ut in ejus proemio declarat Paulus II.

Et recipere praesumentes, Recipientes ergo excusantur probabiliter ignorantia, etiam affectata (n. 570. II), dum alienantes cum ignorantia crassa censurae subjacent. Recipere autem dicendi sunt qui bona ecclesiastica emunt, conducunt, vel in quorum favorem eadem bona hypothecae subjiciuntur, etc. (Piat. in h. l.)

Bona ecclesiastica. Talia sunt bona omnium locorum quae sacra, religiosa vel pia dicuntur, et ab auctoritate ecclesiastica erecta sunt. Nec refert quod Status hunc characterem iisdem bonis non agnoscit, ut fit ex. gr. in Belgio pro bonis communitatum religiosarum: characterem enim illum habent ab auctoritate plane independenti Ecclesiae. Cfr. n. 606.

Non omnia tamen bona ecclesiastica prohibentur sine beneplacito Apostolico alienari, sed sola *immobilia et mobilia pretiosa*. (Extrav. cit.) Immobilia censenda hic sunt non tantum praedia et aedificia, sed et ea quae fundo tenentur, ut fodinae, et arbores frugiferae, vel praedio necessariae; jura realia, uti census et pecunia praediis vel mobilibus pretiosis acquirendis destinata ab his qui eam contulerint, donaverint, reliquerint, non tamen deposita in hunc finem ab oeconomis: quippe qui nec sibi, nec suis successoribus legem dicere possunt. (D'Annib. III. n. 78) Attamen immobilia exigui valoris, cum consensu episcopi alienare licet (ex c. *Terrulas*, causa 12. q. 2): dummodo non sint partes praedii majoris, ne ita per partes magna etiam dominia alienentur. Modici autem valoris censentur, juxta resp. S. C. Ep. et Reg. 1 Maii 1840, dummodo 25 aureos non superent. Hanc summam fere 235 fr. aequivalere plerique opinantur. Neque immerito putant quidam (Lehm. II. n. 974), ob minutum valorem pecuniae, hanc summam aequivalere hodie saltem 500 fr. eo vel magis quod S. C. (decr. cit.) renovat tantum responsa multo antiquiora 22 Mart. 1611 et 12 Apr. 1698. Mobilia vero pretiosa censenda sunt vasa aurea vel argentea, copiosae bibliothecae,

ornamenta quae antiquitate vel artificio praestant, etc. dummodo non sint modici valoris: qui intellegendus est ut modo de immobilibus dictum est. Mobilibus autem pretiosis, in ordine ad hanc legem, non accensetur pecunia (excepto casu quo data sit cum expressa obligatione emendi immobilia vel mobilia pretiosa vel cum onere perpetuo Missarum), neque *obligationes* et *actiones*, quae vix a pecunia differunt, neque insignes reliquiae: quae omnia minus proprie mobilia pretiosa dicerentur. Neque prohibentur Praelati veterem suppellectilem distrahere ad novam comparandam aequae pretiosam: quod consuetudine est introductum. (D'Annib. III. n. 79) Tandem in ipsa Extrav. cit. permittuntur alienari fructus et bona " quae servando servari non possunt. "

Absque beneplacito Apostolico. Hoc beneplacitum non requiritur quando necessitas urget, vid. quando occasio occurrit quae transiret si exspectaretur S. Sedis responsum: quo casu tamen episcopi licentia requiritur; nec quando bona immobilia relicta sunt monasterio quod talia retinere prohibetur; neque probabilius ad alienanda ea bona quae Ecclesiae relicta fuere cum conditione vel facultate ut vendantur. (D'Annib. III. n. 79; Piat. in h. l.) Quidam etiam, ut D'Annib. (n. 83), censent censuram non incurri quando alienatio fit sine beneplacito Apostolico, se ob justam causam, et in utilitatem Ecclesiae cedit. Hanc tamen opinionem cum Penn. (II. p. 128 seqq.) et communi sententia rejiciendam ducimus ut contrarium tum verbis, tum fini praesentis legis. Haec enim ideo praecise lata videtur ut S. Sedi reservaretur iudicium de utilitate faciendae alienationis, quia efficaciter impediri non poterant alienationes damnosae si iudicium de utilitate inferioribus bonorum ecclesiasticorum administratoribus permittebatur.

IV.

Neglegentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV, Const. *Universi* 20 Augusti 1622 et Benedicto XIV, Constit. *Sacramentem Poenitentiae* 1 Junii 1741. (1)

V.

Qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt.

611. Conc. Trid. (Sess. 4. Decr. de editione et usu sacrorum librorum) statuerat ut " nulli liceat imprimere, vel imprimi facere

(1) Hanc censuram explicatam habes n. 394 seqq.

quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis. „ Hanc censuram ad imprimentes vel imprimi facientes restrinxit Const. *Apost. Sedis*, quacum quoad rem omnino consonat a. 48. Const. Leonis XIII de prohibitione et censura librorum.

Libros de rebus sacris tractantes. Praefatae Const. a. 48. his verbis sequentia tamquam aequivalentia substituit: „ S. Scripturarum libros vel earumdem adnotationes vel commentarios. „ Igitur manifestum est censuram non protendi ad eos qui libros quoslibet de rebus sacris in genere, h. e. ad religionem pertinentibus, edunt, ut jam declaraverat S. Inqu. 22 Dec. 1880.

Sine Ordinarii approbatione. Ad effugiendam censuram sufficit approbatio cujuslibet Ordinarii, quamquam ad liceitatem impressionis requiritur approbatio Ordinarii loci in quo liber publici juris fit. (Vol. I. n. 459) Nihil autem refert utrum liber sine nomine auctoris edatur an auctoris nomen prae se ferat, siquidem praesens Const. haec distinctionem omittit.

Imprimunt. Hoc verbo probabilius (Penn. II. p. 230 seqq.) intellegendi sunt tantum typographiae domini, minime vero subordinati operarii, etiamsi proxime ad imprimendum concurrunt. Hos enim non intendit Trident. (l. c.), cum actionem sub censura prohibitam ea ratione describat quae solis typographiae dominis conveniat, ut cum loquitur de edentibus libros tacito vel ementito praelo; nec videtur novus tenor censurae sine evidenti ratione ad operarios extendendus.

Imprimi faciunt. Hi sunt qui efficiunt ut liber ab aliis imprimatur. Talis profecto est editor; auctor vero, quando directe in librum imprimendum influit. Si enim tantum vendit manuscriptum vel permittit impressionem quam posset et deberet impedire, jam non stricto sensu *imprimi facit*. (Penn. II. p. 232 seqq.)

VI.

Qui negant matrimonia clandestina, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; quique falso affimant matrimonia, a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse et parentes ea rata vel irrita facere posse. (Trid. Sess. 24. de ref. matr. c. 1)

VII.

Raptorem ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes. (Trid. l. c. c. 6) (1)

VIII.

Qui quovis modo directe vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogunt, quominus libere matrimonia contrahant. (Trid. l. c. c. 9)

Attende, juxta sententiam communiorem (Piat. in h. l.), hac censura non comprehendi personas privatas, sed tantum eos qui temporalem aliquam jurisdictionem exercent, quales erant multo plures temporibus Trident. Conc. quam nostris.

IX.

Magistratus qui renunt praebere episcopo auxilium adversus eos qui clausuram monialium violant vel restitui prohibent. (Trid. Sess. 25. de Regul. et Monial. c. 5)

X.

Omnes qui quomodocumque coegerint quamcumque mulierem invitam, praeterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium vel favorem dederint: quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emitte, quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum vel auctoritatem interposuerint. (Trid. l. c. c. 18)

XI.

Eos qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum, voluntatem vel accipiendi vel voti emittendi, quoquo modo, sine justa causa impederint. (Trid. l. c.)

In hac censura, sicut et in duabus praecedentibus, probabilius agitur tantum de religione votorum sollemnium et de clausura papali. Quare in nostris regionibus, non est iis incurrendis locus. (n. 85) Sed etiam ubi reperiuntur moniales votorum sollemnium, magistratus solent

(1) Quo sensu istud crimen raptus intellegendum sit, videsis n. 506 seq.

hodie ab hac censura immunes esse, eo quod lege civili non sinuntur auxilium praebere contra violatores clausurae.

XII.

Missionarios operam dantes mercaturae in Indiis Orientalibus et in America, ac Superiores eorum tam mediatos quam immediatos, qui eosdem, saltem per amotionem illorum a locis commissi per eos delicti, non puniverint.

612. Hanc censuram tulerant Urbanus VIII (Const. *Ex debito* 22 Febr. 1633; Coll. P. F. n. 333) et Clemens IX. (Const. *Sollicitudo*, 17 Jun. 1669; Coll. P. F. n. 338) Quam cum praeteriisset Const. *Apostolicae Sedis*, plerique abolitam censebant; sed Pius IX, postulante S. Inqu. 4 Dec. 1872 (Coll. P. F. n. 351), praedictas Constitutiones suum robur servasse declaravit.

Missionarios, i. e. quoslibet viros ecclesiasticos, sive saeculares, sive regulares, aut ad illas regiones missi fuerint aut in illis quomodolibet morentur, etiamsi forte non sint Europaei. (S. Inqu. 17 Jan. 1883; Coll. P. F. n. 352) Non comprehenduntur tamen clerici indigenae: nam *morari* in aliquo loco proprie non dicuntur nisi qui ibidem sint alienigenae. (Penn. II. p. 297)

Operam dantes mercaturae. Mercatura intellegitur tantum lucrativa seu proprie dicta. (S. C. de P. F. 8 Apr. 1862; Coll. P. F. n. 350) Vid. mercatura proprie est ea negotiatio qua merces emuntur aliove oneroso titulo comparantur ut non mutatae, nec in aliam formam redactae, carius vendantur. (Schmalzgr. in Decr. l. 3. t. 50. n. 9) Huic operam dant, juxta cit. Constit. Urbani VIII, quicumque mercaturam seu negotiationem, quocumque modo, sive per se, sive per alios, sive proprio, sive communitatis nomine, directe vel indirecte exercent. Neque requiruntur actus frequentati, cum Clemens IX diserte addat: *etiam semel*. Oportet tamen ut negotiatio fiat in quantitate sat notabili ad grave peccatum constituendum. Insuper inquietandi non sunt Missionarii qui per accidens aliquod lucrum referunt e mercibus quas, necessitate coacti, loco pecuniae secum tulerint. Nam de tali casu interrogata S. C. de P. F. (Coll. P. F. n. 343) 13 Aug. 1834 respondit: " Posse Missionarios subsidiis sibi debitorum securitati et Missionis ipsius bono consulere accipiendo per modum permutationis merces pecuniis sibi debitis emptas, easdemque ad se delatos vendere, et suum facere pretium ex venditione earum retrahendum. "

In Indiis Orientalibus et in America. Non viget haec censura in iis locis quae praedictis Const. non designantur, ex. gr. in Africa. Designantur autem Indiae Orientales, America tam Australis quam Septen-

trionalis, Japonia et Sina. Hanc ultimam regionem comprehendi, declaravit S. Inqu. cit. resp. 17 Jan. 1883.

Quamvis ista excommunicatio nemini sit reservata, non licet tamen ab eadem absolvere eos qui negotiationi operam dederint, praeterquam in mortis articulo constitutos, nisi prius luca e negotiatione percepta locorum Ordinariis vel Apostolicis Vicariis restituerint, ut sancivit Clemens IX, (Const. cit.) iterumque declaravit S. Inqu. resp. mox citato. Liceret tamen absolvere si restituere vellent quidem, sed non possent, cum sic cesset omnis contumacia.

CAPUT III.

DE SUSPENSIONE.

§ I. QUID ET QUOTUPLEX SIT SUSPENSIO.

613. DEFINITIO. Suspendio est censura qua clericus usu potestatis quae ipsi ratione ordinis, officii vel beneficii competit, privatur.

Hinc patet poenam hanc propriam esse clericorum; immo, quia ea sacra ministeria quae cohaerent minoribus ordinibus, hodie a laicis quoque obiri solent, suspendio in ordines minores non cadit. Hinc suspendio, secundum hodiernam Ecclesiae praxim, ab iis solum incurritur qui sunt in Sacris. (D'Annib. I. n. 379; Hilarius a Sexten, de censur. eccl. p. 76)

Triplici ratione ferri potest suspendio:

1^o Ut censura proprie dicta: qui sensus est maxime proprius suspensionis. Tunc autem necesse est ut lata sit ob delictum et contumaciam, et quidem simpliciter, non in perpetuum, nec in diem certum, nec ad arbitrium eam irrogantis. (n. 563)

2^o Ut mera poena ad vindictam delicti, etiam plene praeteriti.

3^o Ut mera inhibitio exercendi actus ordinis vel jurisdictionis, absque delicto imposita, puta ob defectum scientiae muneri necessariae, ad avertenda scandala, etc. (Aichner, Comp. Jur. Eccl. § 219)

Suspendio non est confundenda cum depositione vel degradatione quae gravissimae sunt inter poenas ecclesiasticas mere vindicativas. Nempe per *depositionem* clericus non tantum privatur usu rei, sicut fit in suspensione perpetua, sed ipsa re (officio, beneficio, etc.) ideoque ut in eam restituatur novo titulo indiget. Per *degradationem* vero clericus in per-